



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 60. Rex Angliæ aditu prohibitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](#)

Secul. XV. Duci literas Angliæ Regi inscriptas trā-
A. C. 1475. didit, in quibus Connestabilis Eduardum
 impense rogat, ut in omnibus, quæ el
 Burgundus suggereret, aut sponderet;
 haud difficilior esset ad credendum, ac
 si eadem ex proprio Connestabilis ore
 perciperet.

§. LX.

Rex Angliæ aditu prohibitus.

Eduardus ampla hac securitatis fiducia
 delusus, concordi cum Duce opera
 consiliove exercitum suum ad urbem S.
 Quintini promovet, certa sibi spe facta,
 se ad primum adventus sui nuntium ap-
 pertis undique portis exceptum iri. At-
 tamen Connestabilis Eduardo urbis adi-
 tum adeo non concessit, ut etiam pri-
 mos Anglorum ordines, cum urbi appro-
 pinquarent, excussis tormentorum globis
 peteret, ac præsidiario milite in eos
 erumpente, quadringentos ac ferme An-
 glorum quingentos trucidaret. Eduar-
 dus hanc contumeliam gravissime ferens,
 perfidiae a Connestabili perpetratae ra-
 tionem a Burgundo reposcit, ac vix non
 eundem hujus indigni facinoris consciū
 postulat. Dux nil intentatum relinquit,
 ut Connestabilem culpa liberaret. Ast
 cuncta, quæ in ejus favorem attulit, ra-
 tionum momenta non nisi latentis dol-
 metum

metum in Anglorum animis auxerant. ^{sæcul. XV.}
 ipse etiam Burgundus sub idem tempus ^{A. C. 1475.}
 novam conceptæ contra se diffidentiæ
 materiam suppeditavit, ac suspicionem
 præbuit, se ab Anglorum partibus defe-
 ctionem moliri, eoque præcipiti consi-
 lio in Lotharingiam profectus, Regique
 valere jussu pollicitus esset, se ex hac Pro-
 vincia copias suas revocaturum.

§. LXI.

*Famulus vestibus Fecialis induitus a
 Ludovico ad Eduardum missus,
 de pace acturus.*

Exiguo post tempore hujus rei fama ad
 Ludovicum Galliarum Regem delata
 est, atque rumori fidem addidit confessio
 cuiusdam famuli, qui olim ab obsequiis
 cuiusdam ex Proceribus Regiis ab An-
 glis interceptus, in Gallias redire jussus
 est. Hunc Ludovicus primo explorato-
 rem esse credebat, demum vero ab eo to-
 tam rei summam penitus edoctus est.
 Ergo opportunum advenisse tempus cre-
 debat, quo consilia sibi ab Eduardi Regis
 Feciali data exequeretur; quapropter
 Philippo Comminæo injunxit, ut Hallesi
 seu de Salesii, qui Merichonis de Rup-
 pella filius erat, famulum conquereret,
 ab eodemque exploraret, an sub alieno
 Fecialis habitu personatus Ludovici no-

Hist. Eccles. Tom. XXIX. L1 mine